

Cētonis de theatrica Missæ sal-

tatione, ex variis veterum poetarū scriptis confarcinati, Libri quatuor.

CATALOGVS POETARVM, EX QVORVM VER- sibus hic Cento confarcinatus est.

Ennius.	M. Mallius.	Silius Italicus.
Lucilius.	Cor. Gallus.	Val. Flaccus.
Lucretius.	Propertius.	Iuuenalis.
Catullus.	Ovidius.	Martialis.
Virgilius.	Persius.	Claudianus.
Horatius.	Lucanus.	Paulinus.
Tibullus.	Statius.	Ausonius.

DE CONSILIO HVIVS SVSCEPTI OPERIS, ET ratione quam in eo author secutus est, admonitio.

TAmetsi alio in loco rationes iam breuiter exposuimus, cōfarcinati à nobis huius de theatrica Missæ saltatione Centonis, alia tamen quædam in hunc locum dicenda reieciimus, quorum admonēdos Lectores operæpretium esse duxi, priusquam ad illius lectionem accederent. Poetæ olim apud Ethnicos tanquam Theologi, diuinique vates, & deorum sacerdotes atque interpretes habiti sunt, cum quod eorum laudes sacræque carminibus suis celebrare solerent, tum verò quod diuino afflari numine crederentur, ac diis in primis curæ esse. Hinc illud est apud Ouidium,

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:

Impetus hic, sacræ semina mentis habet.

Quum itaque imaginem ali-

quam, ac velut quoddam rude simulachrum Missaticæ fabulæ, eiusdemque histrionicæ saltationis, & scenæ totius, qua exornari consuevit, hominum oculis subiicere, tanquam in tabula spectandum cogitarem, nihil instituto operi conuenientius fore iudicaui, quàm si à prisca antiquitate, veteres illos Theologos, diuinósque vates, & his sacris dignos antistites, aduocarem, qui hæc nobis sacra, suis verbis carminibusque canerent, ac celebrarent, sacramque hanc saltationem, ad suos numeros, modósque reuocarent, adaptaréntque. Conscripsi igitur hunc Centonem, non ex vno quopiam Poeta, (vt solent qui Homeri, aut Virgilii Centones composuere) confarcinatum, sed ex quamplurimis simul poetis: maxime verò vetustioribus, & qui inter Latinos principem locum iure obtinuerunt, meruerúntque in Heroico & Elegiaco poematis genere. Nam nullos profero versus ex recentioribus Claudiano vel Ausonio, à quibus ne multa quidem admodum mutatus sum. Siquis autem hoc non modò reprehendendum esse existimet, quòd diuersam nouamque hanc confarcinandorum Centonum rationem, ex variis poetis, mihi proposuerim, verumetiam quòd illorum plerunque verba quædam, præter consuetas Centonum leges, in alia immutarim, aut eadem retinens, transposuerim, aut eorum variarim collocationem, aut inflexiones, casus, numeros, genera, modos, tempora, personas, & id genus alia, pro re nata: aut, quod minus fortasse videatur tolerandum, nonnunquam hemistichia etiam de meo quædam addiderim, (quanquam nonnisi ex veterum poetarum visitatis vocibus composita) hoc apud se reputet velim, in hoc nouo poematis & Centonis genere, quod componendum suscepi, in primis decorum & legitimū videri debere, quòd præter decorum, præterque communes Centonum leges, in aliis factum haberi meritò possit: ac denique nullum eidem magis posse decorum conuenire, quàm nullum, suscepti cum ratione operis, decorū prorsus seruauisse. Quid enim aliud efficias, si decorū aliquod poeticum seruare studeas exquisitius, in describendo hoc Missæ monstro, in quo nec pes

o.iiii.

Lib. 1. De adulte.
Cen. Dom. & de
tremēd. sac. Mis.
myster. ca. 21.

Fast. 6.

nec caput vni redditur formæ, quàm si des operâ, vt cum ratione, (quod ait Comicus,) insanias? Enimuero quemadmodum Missaticæ rapsodiæ consarcinatores, (vt alibi iam attigimus) quorum in sarcinendis Centonibus artem, & industriam, huius poematis & Centonis imagine vtcunque adumbrare ac referre conati sumus, nō satis se arbitrati sunt corrupisse, quæ à variis corrogarant authoribus, multa mutando, transponendo ac inuertendo, omniâque miscendo atque confundendo, vt multa iura confundit cocus, nisi ipsi quoque quamplurima aliorum inuentis de suo addidissent, aut de illis pro libidine detraxissent: ita mihi parum videbar decorum huius poematis susceptique argumenti seruaturus, nisi authores, quorum ingenium & artificium aliqua saltem ex parte exprimere statuerâ, per omnia, quoad eius fieri quidē posset, imitari, & ad vnguē referre contenderē. Hoc enim pacto facilius quisque intelligere ac cognoscere poterit, quàm non sit difficile, vt dici solet, ex quolibet facere quidlibet, ac sacra profanâq; miscere omnia, si semel laxis profusæ licentiæ habenis, humano ingenio permissum fuerit ludere ac nugari pro animi libidine, in rebus sacris & religiosis. Etenim quanto promptius fuit & expeditius Missatici Centonis cōsarcinatoribus, & humanarum traditionum authoribus, tum diuina oracula, tum scripta veterum Theologorum, institutâque veteris Ecclesiæ, ad sua commenta, omnibus priscis seculis Ecclesiæ Dei incognita, detorquere, & suis assuere Centonibus, quàm mihi, ex veteribus poetarum versibus, Missæ fabulam atque saltationem describere, eorūque sensus iis rebus accommodare quæ ne per somnium quidē illis poetis vnquam venerunt in mentem, à quibus decerpi sunt. Hæc quāuis sic se habeant, nulla tamen tanta conuenientia inter istos Theologos, sacrorūque superstitionum symmystas, (Papistas sacerdotes intelligo & Ethnicorū poetas) facile inueniri posset, nisi maxima esset horum quoque omnium inter se studiorū, superstitionis, sacrilegæque impietatis societas & cōsensio. Neque hoc silētio prætereundū esse duxi, quod neque aliunde mihi copiosior suppeditata est huius Centonis materia, quàm ex his locis, in quibus poetæ, aut falsuorum temporū religiones, & impios deorum cultus, aut magica sacrilegia, aut amatoria argumenta, suosque seu aliorum lasciuos amores & obscœnas libidines decantare, ac recitare consueverunt. Ex quo cuique perquàm facile est, de sacrosanctis Papistarum mysteriis, & de sanctitate atque religione sacra huius saltationis æstimare: quibus describendis, quo quisque supersticiosior obscœniōrque est poeta, eo comperietur cōuenientior. Quos enim inuenias aptiores ad Babyloniam meretricem, sagamque triueneficam, meretricio mundo sibi congruentissimo exornandam, suisque depingendam coloribus, quàm qui amatoria cōscripserunt, lasciuī & obscœni poetæ? Nam præterquam quòd in horum poematis, passim de saltationibus, amatorūque lasciuia & petulantia, de meretricio item mulierū luxu & ornatu, ac denique de arte lenonia, & id genus aliis multa occurrit mētio, quoties præterea à superstitionis sacris, magicisque sacrilegiis petita auxilia canunt? Cæterum quòd nomina poetarum, ex quibus hos decerpsi Centones, non adieci cuiusque versus aut hemystichii marginibus, hanc habui rationem, meo quidem iudicio, nō prorsum iniustam: nimirum quòd idipsum, nimis molestum, difficile, atque laboriosum fore videbatur. Nam quum sæpe in his occurrant versus quamplurimi, ex variis poetarum hemystichiiis compositi, haud satis facile fuit, tam variorum authorum nomina, ac simul operum eorundem titulos, ex quibus desumpti essent, adscribere. Neque verò carminibus quæ à veteribus poetis in hoc opus à me traducta sunt, admodum multa de meo afficta aut addita suspicetur, hoc certò affirmare possum, vix vnum in toto hoc poemate, (eoque prolixiore fortasse quàm res ipsa postulare videbatur) versum integrum extare, qui totus meus dici possit, quod quidem meminerim. Huius porro commemoratæ modò prolixitatis, quam ego quoque in alio forsā opere reprehendendā iudicaret, hanc vnam non prorsus iniustam causam, mihi videor habuisse: nempe quòd hæc digna sacra cēsui, quorum tam operosæ, tamque sollicitæ & nugaces nugæ, & ad fastidium vsque, à suis authoribus & histrionibus ingeminatæ, repetitæ, & tanquam sublimia mysteria, à tertio cælo, (quo Paulus se raptum fuisse testatur) deuocata, commendatæ, excultæ, adoratæ, paulò curiosius ac prolixius inculcarentur, vt tanquam ex concepto ex earundem lectione tædio, Lector moneretur apud se diligentius expendere, ac cogitare attentius, quàm inanibus studiis huius fabulæ spectatores bonas horas male collocēt, eorūmq; admirari patientiā & stuporē, qui huiusmodi deliriis, tanquā magicis præstigiis, hūc in modū sibi illudi, atq; oculos

sibi perstringi patientur. Deinde tametsi ipsa huius fabulæ materies merito sane suo tædiū afferre, ac bilē concitare potest, cuius non superstitioso & fascino Papisticis veneficiis homini, arbitratus sum tamen minus molestā fore huius poematis lectionē, si Lector sibi in memoriā reuocaret, se nō meis verbis audire hæc sacra recitari, celebrariq; sed præstantifsimorū poetarum vocibus & carminibus: vt iure optimo gloriari queat, se Latinā Missam audiuisse, qua nulla fuit vnquam latinior, qui hanc ex ore eorum audiuerit sacerdotum, quos in hoc theatrum introduxi, hæc sacra facientes. Huc accedit, quòd studiosi poetices, præsertim verò scholastici, adolescentes, & pædagogi, quorum potissimum gratia hoc opus aggressus sum, poterūt ex hac poesi multa discere Latina verba, & poetica, huc ex præstantissimis poetis translata, quæ apud suos authores, ob argumenti stylique obscœnitatē, sine contagionis periculo, vix à tenera ætate legi possunt. Quamobrem si nō piget, studio linguæ Latinæ, sæpe obscœnos euoluere poetas, & prorsus indignos Christianorum adolescentum lectione, fortasse non pigebit aliquando his studiis deditos, cum fructu aliquo ex hoc audire Centone veteres poetas, Papisticas superstitiones, & idolomanias, suis verbis describentes, quos vix possunt ex ipso archetypo, sine pestilentis contagii afflatu audire. Si quid autem inueniatur aliquando durius, aut obscurius, aut quod redundare videatur in versuum cōiunctione & adaptatione, hoc minimè mirū videri debet, præsertim in Centone elegiaci poematis. Nam præterquam quòd Centones necesse est omnes esse coactiores ac minus liberos, quàm si quis suo Marte poema cōponat, huic meo Centoni hoc præterea accedit, quòd eius pars multo maxima elegiacis constat, quibus sunt quàm heroicis leges astrictiores, in eo maxime, quòd singulis hemystichiiis, aut certe tetrastichis, aut non multo longiore versuum ambitu, oportet integras sententias absolui & contineri. Quòd autem ad Centonis obscuritatem attinet, quanquam sex illi libri, quos conscripsimus de adulterata Coena Domini, & de tremēdis sacre Missæ mysteriis, vice prolixissimi in eum cōmentarii esse possunt, quia tamen multa sæpe forte occurrent quæ forsā videbuntur obscuriora, nec omnibus vsque adeo peruia, maxime verò iis, quibus hæc Papistica sacra minus sunt intus & in cute nota & explorata, annotationes marginibus adscripsimus, quæ vicem præstare poterunt brevis cōmentarii. Præfiximus præterea singulis sectionibus, in quas totum opus partiti sumus, quasi in actus & scenas, vniuscuiusque argumenta, ex quibus quid singulis contineatur, protinus Lector intelliget. Sunt itaque hæc cōsiliiorum meorum rationes, quas in hoc nouo Centonis & poematis genere secutus sum: quas si quis fortè arbitrabitur indignas tam sacris mysteriis, cogitet primo loco, me ne utiquam primum esse, qui in hoc scripti & argumenti genere, hunc in modū sibi ludere permiserit: quanquam non prorsus eandem per omnia secutus sum rationem, cum iis, qui ante me Centones in eandem fere sententiā consarcinarunt. Deinde hoc etiā intelligat, tam execranda esse Missæ sacrilegia, cuiusmodi nunc habentur, vt illa nemo vnquā satis pro dignitate, irridere, subsannare, exhibere, explodere, execrari, insectarique possit. Quare si hac in parte iustam aliquam videor reprehensionē mereri, haud satis prospicio quid iustius in me accusari queat, quàm q̃ ea maiore affecerim honore, quàm merita sint, nec merita insectatione sim, meritòque odio, insectatus. Porro quo plenior esset totius scenæ huius, horūque ludorū descriptio, eos descripsi quales exhibere solent celebriores, & solenniores, ac suis omnibus numeris & partibus absolutiores. Sed ad eorum nos spectacula iam recipiamus, antistitesque horum sacrorum attentis auribus audiamus.

Centonis de theatrica Missæ sal-

tatione, ex variis veterum poetarum scriptis confarcinati, Liber primus.

OPERIS PROPOSITIO.

Solemnes Missarum ludi, & falsa Papistarum doctrina.

Monstrum transubstantiationis.

Papistica Canonis Missatici & transubstantiationis magia.

Anthropophagia sacrificulorum.

Polyphemi anthropophagi.

Pinguis & otiosa sacrificulorum & monachorum vita, quam vocant contemplatiuam, ex Missæ sagina.

Cultus superstitiosi & inanes ceremoniæ.

Gigantes qui humanis suis viribus & operibus se in cælum erumpere, ipsūque aliis mereri gloriantur.
Romani Antichristi regnum.

Euecti lenones & sordidissimi ac vilissimi homiçiones, ad summas sacerdotiorum dignitates.

Ferrea pietas militantis Ecclesiæ Papisticæ.

Dii Romani & Papistici.

Missæ mysteria.

Bullatæ & inflatæ Papisticæ religionis nugæ.

Nugluendi hypocritæ, Fumus ceremoniarum, pro vera Evangelii luce.

Cardinales & Episcopi.

Vbera Romulæ lupæ. Romani lupæ alumni. Fœcunda Missæ vbera, luporum altricis.

Romanus Pontifex terrestris deus, & deorum creator.

Cardinales Pontificis creaturæ.

Dii Papistici ignipotentes, & incendiarii.

Romana Antichristi sedes, eiusque potentia & tyrannis.



A C R A diésque canā, iun-
ctósque ex ordine ludos,
Sanctos templorum cultus,
aurúmque deorum,
Errorésque vagos, cæcæque
obliuia mentis,
Grande & conspicuū nostro
quoque tépore monstrū,
Quod prior est mirata, se-
quens mirabitur ætas.
Omne vetustorum soluam

penetræle magorum,
Fœda Lycaoniæ referens conuiuia mensæ,
Et quos demittit vastam Polyphemus in aluum:
Et genus ignauum, quod tecto gaudet & vmbra,
Diues opum, studiis florens, & nobilis otii:
Quúmque locis, morésque hominum, cultúsque sonósque,
Fata & fortunas, studia, ingeniúmque manúsque:
Atque affectantes cælestia regna Gigantes,
Romanos rerum dominos, gentémque togatam,
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Euexit, quoties voluit fortuna iocari:
Non quantum ferro, tantum pietate potentes.

IN V O C A T I O.

Di maris & terræ, quique his meliora tenetis,
Di rellinquendi, quos vrbs habet alta Quirini,
Denique ab antiquo diui veterésque nouique,
Huc precor, huc vestras omnes aduertite mentes:
Annuite optatis omnes ex ordine nostris,
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere res, alta & cæca caligine mersas,
Carminibúsque meis accedant pondera rerum,
Pagina turgescat bullatis vt mihi nugis.
Roma faue, tibi surgit opus, date candida ciues
Omina, splendenti dare pondus idonea fumo.
O nimis optato seclorum tempore nati,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis:
Heroes saluete deúm genus: ô bona mater,
Optima nutricum fœtæ lupa martia mamma:
Vos ego sæpe meo, vos carmine compellabo.
Téque adeo eximia auspiciis fœlicibus aucte
Italiæ columen, magnus cui Iuppiter ipse,
Ipse suos diuúm genitor concessit honores,
Multos quique deos (longum est numerare) creasti,
Diis genite, & geniture deos pater ignipotentes:
Omnia quem metuunt, ad quem sua brachia tendunt:
Cuius sancte parens, hæc est pulcherrima sedes,
Ac cuius virtus gentes regésque subegit:

Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum,
 Quique parens verus patriæ es, dignissimus aris
 Roma tuis, per quem nunquam iurare pudebit,
 Numen adorandum, quod virtus addidit astris,
 Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis.

NARRATIO.

Sunt tibi magna pater, nimiumque potentia regna.
 Ante tuos ortus, aræ sine honore fuerunt.
 Materia est (mihi crede) tuis aptissima chartis,
 Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ,
 Cœna Thyestæis cumulat quæ viscera mensis,
 Omnisque humanis lustrata cruoribus ara.
 Facta canam, sed erunt qui me finxisse loquentur,
 Et timor officio fungi vetat ipse quieto.
 Credamus tragicis quicquid de Colchide torua
 Dicitur, & Progne: nil contra conor, & illæ
 Grandia monstra suis audebant temporibus, sed
 Ob nummos, maior nunc admiratio summis
 Debetur monstis, quæ nostra hæc credidit ætas,
 Et lacerata suo nati data viscera patri,
 Monstra deum, patrem bustum miserabile nati.
 Cretes erunt testes, nec fingunt omnia Cretes,
 Si qua fides rebus tamen est addenda probatis.
 Si natura negat, facit indignatio versum.
 Utque mei versus aliquantum noctis habebunt,
 Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
 Nil nisi legitimum concessæque furta canemus.
 Dii mihi sunt testes, non degenerasse propinquis.

Qui ad Missæ sacra admittendi, & quibus legibus, quibusque eorum aditu interdicatur ac quibus obiciantur periculis, qui hæc sacrilega sacra damnant & detestantur.

N Vlla mora est in me, peragam rata vota sacerdos.
 Fœdera sunt ponenda prius, signandaque iura.
 Nec mihi parua fides: procul hinc procul impius esto,
 Siquis eris recti custos, imitator honesti,
 Vir bonus & pauper, linguæque & pectore verus:
 Tuque rebellatrix sanctæ Germania sedi,
 Et qui Romanas soliti contemnere leges,
 Iudaicum ediscunt, & seruant ac metuunt ius,
 Tradidit arcano quodcunque volumine Moses,
 Ac quibus nec cura est externos quærere diuos,
 Et quisquis pactas in fœdera ruperit aras.
 Non est hæc sacris gens acceptissima nostris.
 Nescis heu nescis dominæ fastidia Romæ.
 Nil patrium nisi nomen habet, Romanus alumnus,
 Si genus arguitur vultu, nisi fallit imago.
 Nil pudet affuetos sceptris, nec iura, fidemque,
 Respectumque deum veteris speraueris aula.
 Ius & fas multos faciunt, mihi crede, nocentes.
 Dat poenas laudata fides, respectus honesti.
 Qui vult esse pius Romana ille exeat aula.
 Libertas scelerum regna hæc inuisa tuctur,
 Venalesque manus: ibi fas, vbi maxima merces.

Romani Pontifices Missæ authores.

Missæ anthropophagia, & cruenta aræ.

Adeo impudenter sunt sacrificuli & Papistæ, ut nihil iam eos pudeat negare, quod norunt omnes, & libris sacrisque suis palam testantur.

Hæc haud magis absurda sunt, quam quæ traduntur de Missarum laniena.

Habendi cupiditas, mater portetose transsubstantiationis, & faurix, omniumque portetorum Papistæ religionis.

Transsubstantiatio.

Theophagia Missæ.

Sacrificuli editi a se Pseudochristi sepulchrum se esse iactant, quod eum tanquam in sepulchro visceribus conclusum teneant.

Versus Epimenidis Cretæsis, id est, Cretenses semper mendaces, malæ bestię, ventres pigri, Tit. i.

Cento ut coactior, ita & obscurior sit necesse est.

Concessa furta Missæ, quibus, religionis prætextu, totus orbis Christianus expilatur & exhauritur.

Nemo veritatis studiosus, sed idolorum cultores duntaxat & Pseudochristiani, ad hæc sacra ritè accedere possunt.

Defectrix Germania à Romana & Antichristiana Ecclesia.

Hostes traditionum humanarum, veritatis Evangelicæ & Sacrarum literarum studiosi, ab his sacris arcet, & qui deos peregrinos à Papistis ascitos, & eorum cultus repudiant.

Degener Ecclesia Romana, notha & adultera, repudiata Apostolorum doctrina.
 Fides Romana, fides Funica. Heu pietas, heu prisca fides.

Ut nunc habet Ecclesia Romana, Omnia quum liceant, non licet esse pium.

Atque sacerdotis flatu, quibus auferet illis
 Quod terrestre fuit, maiestatemque verendam
 Imponet, nomenque simul corpusque nouabit,
 Conferet & verso seruatos nomine vultus.
 Et deus ecce nouus caelo descendet ab alto,
 Si superos oret, si cantu supplice carmen
 Auxiliare vocet, cunctis pollentius herbis
 Excantare deos, infundens murmura labris.
 Sic modò qui fuerat rudis & sine nomine panis,
 Induet ignotum corpus, sub imagine falsa,
 Aptam mentitis superos celare figuris.
 Et quanuis forsan dubites quod numen in isto
 Corpore sit, tamen est ibi corpore numen in isto.
 Quanuis forma hominis nequeat manifesta videri,
 Nec caro, nec mensa saniesque dapésque cruenta,
 His tamen hic conuiua & sanguine vescitur atro.
 Illuc, vnde abii, redeo, iam percipe voces.
 Quod superest addam, quæ sit pars cætera mensa.
 Præterea viuus libandas fontibus vndas,
 Sacraque odorati disponunt pocula Bacchi.
 Stant sacri calices, ac vina liquentia fundunt.
 Nec iam terra rubens crater, nec pocula fagus,
 Nec sunt audacis plebeia torcumata vitri,
 Nec fragiles vili calices de puluere nati,
 Plebei, viles & paucis assibus empti,
 Quæ nisi sollicitus teneat seruétque minister,
 Nullaque obscura teritur rubigine crater.
 Sanguinis & sacri pateris libatur & auro,
 Ex quo securo potet conuiua ministro.
 Hoc sacer Antistes sacro auro libat ad aras,
 Imbuit, hincque suum cælesti nectare corpus.
 Hæ sacris sedes epulis: considerare mensis
 His soliti patres, cælestia pabula carpunt.
 Tales suntque cibi, qualis domus atque supellex.

De accessu ad hanc scenam & Missæ histrionicam
 saltationem, & de eiusdem fabula & spectaculis.

Sic dape, sic posito vt mensa enituere Lyæo,
 Nam ludos ineunt, ineunt proscenia ludi.
 Scena viget, studiis que fauor distantibus ardet.
 Et sacra conficiunt toties quæ iterantur ab illis.
 Fabula enim hæc posci vult & spectata reponi:
 Fabula nota quidem, sed non indigna referri.
 Nec satis est vidisse semel, iuuat vsque morari,
 Quanquam hæc sunt populo saltata poemata sæpe.
 Et ducunt posito festas crateres choræas.
 Aequales habitus illic, similémque videbis
 Orchestram, & populum, clari velamen honoris.
 Tum quem sæpe vides inter penetralia sancta,
 Præfuit & templo multos qui rite per annos,
 Vota deum primo promptus persoluit Eoo.
 Hunc comites prima statuunt in parte chorææ.
 Idem omnes simul ardor agit: labor omnia vincit.
 Et quam quisque potest operam sine fine togatam
 Præstat: multa leuant animum spectacula rerum.

Transformatio substantiæ, accedentibus remanentibus.

Sub falsa panis imagine, corpus verum Christi occultitur.

Sarcophagia & hæmatoposia sacrificulorum.

Reliquis mensæ apparatus.

Aqua in sacris.
 Vinum.

Calices & eorum materies.

Decreta de materie sacrorum vasorum.

ristilia, lignea, vitrea & ærea vasa, in hac mensa dam-
 nata.

Damnantur ærei calices, ne in eis sanguis accescat, & ru-
 bigine corrumpatur.

Aurei calices & argentei minus quam vitrei fragiles.

Quibus liceat in his mensis epulari.

Ludi festi.

Missæ sacra quotidie repetita.

Ornatus cuiusque & habitus pro ludorum & festorum
 dierum ratione, & personæ quam quisque agit.

Hierophanta.

Matutinæ preces & Missæ.

Præfultor.

Opera togata, quia à Romanis pontificibus instituta est,
 summa in pace præstatur.
 varia Missæ spectacula.

Carmina digna Deo, iussaque sacra colunt.
 Concinit ingenti sese clamore ferendo,
 Cantans per numeros apta iuuenta suos.
 Hæc ut dulcè canit, flectiturque facillima vocem,
 Sic leue nescio quid, fœmineumque sonat.
 Clarifonas imo fundit de pectore voces,
 Ut liquidum tenui gutture cantat auis.
 Dulcia dulcifona modulatur carmina lingua,
 Qua nihil omnino dulcius esse potest.
 Carmina multa canunt: cantandi summa voluptas,
 Nec fugit aut vocis gratia vera perit.
 Iamque sacerdotes, soli cantare periti,
 Respondent, toto voce boante choro.
 It clamor cælo: tectum templumque remugit,
 Quæque leuet cantus turba sodalis adest.
 Agmine partito fulgent, lustrantque choreis
 Atria, dant vires in sua verba suas.
 Ipsi lætitia voces ad sidera iactant,
 Fraternaliter verè dulce sodalium.
 Ille sonat raucum quiddam atque inamabile nare,
 Ut rudis à scabra turpis asella mola.
 Ille alter quo mordetur gallina marito
 Deterius, titubaturque aspera lingua sono.
 Terribiles alius mugitus ore remugit,
 Conatus magnos ore cedere modos.
 De usu linguæ Latinæ & Græcæ, in sacris, & de Græca
 precatatione, κύριε ἐλέησον, & de corrupta eiusdem pro-
 nuntiatione.
EXercet illi Latine commercia linguæ,
 Nullus qui fructus percipiatur inest.
 Nam neque qui referat quisquam est hæc carmina, vel qui
 Quælibet è medio reddere verba velit.
 Plurima præterea nunc sunt immixta Latinis,
 Inque sacris scriptis barbara verba sonant.
 Siqua videbuntur casu non dicta Latine,
 Græca peregrino mixta loquela sono est.
 Ergo chorus clamoso iterumque iterumque boatu,
 Hos, sed non Latio, personat ore sonos,
 O miserere Deus, quæso miserere nostri.
 O Domine, ô nostri tu miserere Deus.
 Hæc plures vno conclamant ore sonoro:
 Per numeros veniunt ista gradusque suos.
 Ac repetunt, festis que fremunt ululatus ædes,
 Et memini numeros sustinuisse nouem.
 In paucis extant Græcæ vestigia linguæ,
 Hæc quoque iam Getico barbara facta sono est.
 Indocti ignorant quid Græco nomine dicant,
 Verbæque significant quid sua, nemo tenet.
 Omnibus ignauoque stupent sua verba palato,
 Quodque parum nouit nemo docere potest.
 Siue autem Græca scierint hi siue Latina
 Voce loqui, certè neutrius usus adest.
 Quid quod legitima fraudatur littera voce?
 Pluræque sunt semper deteriora bonis?
 Vnus in hoc vix est populo, qui forte Latina

calasabri pueri, quos vulgo choricos & innocentes vocat.

Acuta vox.

Cantores ceteri.

Dichorie & antichorie.

Vocis vitia sæpe contracta ex potu immodico, venere, & scabre Neapolitana.

Vox grauis.

Lingua Latina vulgo ignota.

Nullus interpres Linguarum peregrinarum in sacris Papistis, ad normam à Paulo institutam Ecclesiasticæ prophetiæ.

Barbaries in sacris, & corruptio linguæ Latinæ.

Græcæ voces.

κύριε ἐλέησον, &c.

Battologia huius precatationis.

Nonenarius numerus.

Barbaries & inscitia sacrificulorum.

Quomodo Græca intelligerent interpretarenturque, qui ne Latina quidem vniquam rectè didicerunt.

Nullus interpres, ac proinde nec fructus ullus, siue Græcæ, siue Latinæ linguæ.

Cyrileson vnus vocis & tetra syllabum, pro Cyrile elceson heptasyllabo, & duarum vocum, pronuntiant indocti sacrificuli.

Et si nihil intelligit populus, delectatur tamen his ludis.

Ex Græcis ad Latina redeunt.

Candidis duntaxat, non atris diebus hic hymnus canitur.

Mythagogus præcentor.

Gloria in excelsis, &c.

Chorus.

varius concentus chori & organorum.

Organa multas voces, & varia instrumenta musica referunt.

Conversio ad populum, & sacra vertigo.

Salutatio.
Dominus vobiscum.

Chorus.
Et cum spiritu tuo.

Componit se ad recitandas solennes preces, (quas Collectas nuncupant,) Mythagogus.

Oremus,

Auribus accipiat, verbave Græca suis.

Grata tamen capit hinc populus spectacula foelix:

Latus suspensis auribus ista bibit.

De hymno Angelico, Gloria in excelsis Deo, eiusque cantu, & Mythagogi gesticationibus, & choro, & organis, atrisque & candidis diebus.

ET quoniam cœpit Græcorum mentio, signo In Latium incipiunt iam reuocare dato.

Exodium tandemque redit ad pulpita notum,

Inter se nulla continuata mora.

Non ibi sunt tristes curæ, nec luctus acerbus,

Albus si fuerit, non niger ille dies.

Ex ara media magno clamore sacerdos

Incipit effari, cætera turba silet.

Brachia protendens, spectansque ad lumina Solis,

Is iacit in medio talia verba choro:

Gloria magne poli rector mundique prioris

Sit tibi, quam genuit pacis amica quies.

Conticet hic tandem, factoque hic fine quiescit:

Principium sacri carminis ille canit.

Solennisque chorus non tristia carmina reddit,

Carmina latitiæ sed tibi plena refert.

Afficit ille animos, magna que libidine vulgi

Auditur iuuenumque hinc chorus hincque senum.

Obloquitur numeris centum discrimina vocum,

Iamque eadem digitis organa pulsa sonant:

Quod tuba, quod litui referunt, quod cornua rauca,

Quodque foraminibus tibia mille sonat.

De conuersione & salutatione Mythagogi ad spectatores, & fausta precatione, Dominus vobiscum.

HÆc ubi personuit solenni tibia cantu,

Vocalisque simul conticuere chori,

Se Flamen vertit, celerique volumine torquet,

Addens & proprias ad sua verba preces.

Et populum Domini iam nota voce salutat,

Lingua salutatrix munere functa suo.

Hancque salutatus reddit chorus ipse salutem,

Seruiat officio Spiritus ipse tuo.

Et redit ad dextram, laua aræ parte relicta:

Innumeri circa stantque sedentque viri.

Taliaque ad superos perfert mandata sacerdos,

Quos colit exorans supplice voce deos.

De precibus, Collectis appellatis, quas lex iubet semper impari numero recitare, quarum numerus hic seruata lege ad quinarium extenditur.

Precatio ad Deum. Collecta prima.

O Deus omnipotens, precibus si flecteris vllis, Aspice nos, hoc tantum et si pietate meremur Placatus miseris fer opem mitissime rebus: Da deinde auxilium generis reparabile nostri, Vtiliter populosque iuues tua sacra colentes, Semper cum nato regnans per secula longa.

Precatio ad diuam Virginem: Collecta secunda, qua ex doctrina Papistica, diuæ Virgini tribuitur, quod solius est Christi.

TE precor ô noltri quæ conscia Virgo tonantis,
Tu curæ requies, tu medicina veni.

Ad te confugio, & supplex tua numina posco:

Pendet ab officio spes mihi magna tuo.

Suscipe nos genitrix, populi miserere laborum:

Membra velis gremio fessa fouere tuo:

Gratia magna tibi est, nam tu solatia præbes:

Tu quem sensisti rite precare Deum.

Ille dedit vitam, tu, quam dedit, ipsa tueris,

Immunes tanti nec finis esse boni.

Tu quoque nostrarum quondam fiducia rerum,

Tu mihi confugium, tu mihi portus eris.

Nunquam pigra fuit nostris tua gratia rebus,

Auxilio trepidis quæ solet esse reis.

Precatio ad Angelum custodem, & bonum genium: Collecta tertia.

TV diuûm, cælique decus facunde minister,

Nunc quoque sollicita mente rogandus eris.

Tu pius Antistes cæli, semper mea dona ministras:

Surge & clementes iusta precare deos.

Adde quod & rerum datus es tutela mearum:

Debita seruato vota cliente canam.

Precatio ad diuam Margaretam, pro puerperis, Papistarum Inuocem Lucinam, & Dianam: Collecta quarta.

TVque laborantes vtero miserata puellas,

Quarum tarda latens corpora tendit onus,

Lenis ades, grauidisque faue Lucina puellis,

Maturumque vtero molliter aufer onus.

Parce precor lassis, vanosque remitte labores,

Fac nobis faciles in tua vota deos.

Precatio ad deos tutelares, quos patronos vocant: Collecta quinta.

Dique deæque omnes, quibus est tutela per vrbes,

Nunc seruate pios, vos precor ore pio.

Dii patrii seruate domum, paruosque nepotes,

Diuino meriti semper honore coli.

Astra polùmque pia cepistis mente deorum,

Numina iam factò non leuiora Deo.

Vos eritis nostræ portus, requiesque senectæ,

Vos eritis nostræ portus & aura fugæ.

De Chori responso & Antistitis atque Pótificis sessione,
ne, qui Collectas ex sublimi sua sede recitare solet,
& de eiusdem comitatu.

TAlibus orabat dictis, arásque tenebat,

Nutibus inque suis pars bona vocis erat.

Dicere finierat, iam respondere licebat:

Vltima qui excipiat verba loquentis adest.

Atque ita vox rata fit, confecto carmine munus.

Nanque hoc pro multis redditur officiis.

Inde tenore pari, gradibus sublimia celsis

Scandens Antistes, celsior ipse sedet.

Quæque reportandis posita est orchestra cathedris,

Hanc vigil, optatæ premia fortis habet,

Sede sedens celsa pexúsque togæque recenti,

Maximus in magno semper honore manet:

Comptúsque in solio medius confidit auito,

Longè plures & intolerabiliores continent in Christum, & diuam virginem contumelias, preces, quarum hæc sunt initia, Obsecro te, salue regina, O intemerata, & hymnus, Ave maris stella, & id genus aliæ blasphemiz.

Chori responsum.

Amen.

Sessio Antistitis.

Cathedra pontificalis.

Episcopus vigilem & speculatorem sonat,

Ante tuas aras, crater antistitis auro
 Libatum præfert in tua sacra merum.
 Imbuat egregium digno mihi nectare pectus:
 Antiquus mensis restituatur honor.
 Atque inter mensas diuino nectare fusas,
 Tu vitium ex animo dilue Bacche meo.
 Candide Liber ades, tua sit mihi mystica vitis,
 Curarumque tuo sit medicina mero.
 De sanguinis potu.

Dixerat, & sicco torret sitis ora palato,
 Ponit vix siccis tristia iura labris.
 Ut sacer impleuit dextram scyphus, impiger haurit.
 Postquam signatum sanguine pectus habet.
 Stans potat, vinoque leuat curasque sitimque,
 Et releuat paucos pectora sicca mero.
 Pocula nec digitos inter cecidere remissos,
 Et casum tremulae non timere manus.
 Vinamque libato ut summo tenus attigit ore
 Et quia tu pius es, dicit, & ipse bibit.
 Ille quod exiguum restat dein sanguinis haurit,
 Et plenum potu sanguine guttur habet.
 Quum siccare sacrum largo crateraque possit
 Ore, verecundam maluit esse sitim.
 Sic haurire decet caelesti gutture nectar,
 (Imperturbato quod bibit ore reus.)
 Largius effuso madeat ne mensa cruore,
 Spumet & aurato largius in calice.

De extrema ablutione, quam perfusionem nominat,
 & de calicis abstersione & repotiis.

Quem simul exhaust, prisco de more precatus,
 Accedunt famuli vinamque dant pateris.
 Hac recipit manibus lotis, iterumque lauatur,
 Nec vult infectas sanguine habere manus.

Tum demum digitis sacrum cratera duobus
 Circuit: & lingit vina relicta labris.
 Vinamque distillat, vini quodcunque relictum est,
 Saepe, sed exiguis haustibus, inde bibit.
 Dum lingit digitos crebrum popysma sonantes,
 Non gutta vlla hæret sanguinis in calice.

Tum demum cyathos, siccato nectare tergit:
 Sic memorant curas hunc posuisse suas.

Hæc mensæ ratio, sacris de more peractis:
 Hoc satis est, inquit, cætera mando deo.

Iuppiter Elicius tenues dilapsus in auras,
 In cælum celeri peruenit ille fuga.

De precula, quam appellant Communionem.

Ad finem properat templique aræque sacerdos:

Redditque ad superos talia verba deos.
 Quo celebrem mea vota deus, quas soluere grates
 Sufficiam: domino sint rata vota meo.

Hæc ego nunc sacræ sumpsi noua gaudia cœnæ:
 Ne quæso faciant pocula sacra reum.

Digna loquor, mediis visus discumbere in astris,
 Interius mentes inspicere sancte deus.

Precatio.

Vis Bacchi in diluendis animi curis magna.

signat calice, in crucis modum circumactio, pectus.

Hoc diligenter canetur, inter Missæ piacula, ne concus-
 sione calicis, sanguis effundatur.

Sobrius conuiua.

Reus sanguinis Christi, impius sacrificulus in Christi sa-
 crificium contumeliosus.
 Cauendum ne effundatur sanguis, atque ideo parcius
 vinum in calicem funditur.

Lauat manus & os, nequid de carnis aut sanguinis reli-
 quis in iis residcat.

Abstersio calicis.

Repotia.

Labiorum sonitus in lingendis digitis, popysma imitan-
 tium.

Hic conceptum ponit macerem ex miserabili Dei sui
 fato.

Asunt Christum suum, post sacrum ientaculum, protinus
 in caelos sese subducere ac recipere.

Communio.

Hæc est summa & colephon totius Papificæ religionis
& Romanæ ecclesiæ.

Infinitum esset persequi omnes aniles Papificorum
mysteriorum & ceremoniarum delirationes.

Author nec unquam Missam celebravit, nec plus minus
toris fere viginti quatuor annis, eius spectator auditor-
que fuit.

CENTONIS LIB. IIII.

Hæc sacra dum colimus dominæ pulcherrima Romæ,
Agnoscat mores Roma legatque suos.
Omnia voce mea non possunt gesta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi.
Hæc ego confiteor non sum perfectus in arte:
Quid faciam: monitis sum minor ipse meis.
Quo magis, ô lector, debes ignoscere, siquid
Nonnunquam erratum est, præteritumve mihi.
Adde, quòd ingenium longa rubigine læsum,
Torpet, & est multo quàm fuit antè minus.

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS

ANNO M. D. LIII. XIII. CAL. IVLII.